



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

S P E C V L I
V A N I T A T I S
E C C L E S I A S T A E
C A P V T Q V A R T V M.

S E C T I O P R I M A.

E C C L E S I A S T E S.

VER. I. Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ
sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium,
& neminem consolatorem: nec posse resiste-
re eorum violentiæ, cunctorum auxilio desti-
tutos.

2. Et laudavi magis mortuos, quàm viuentes:
3. & feliciorum utroque iudicavi, qui necdum
natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.



L O Q V A R, an sileam percussa vulnera mentis?
Flebilibusve elegis visa nefanda querar?
Dum me vana inter dextrâ leuâque reclino,
Et lassum huc illuc verso reuerso latus;
Dum sola terrarum tacito pede, mæstus oberro,
Perlustrans animo Solis utramque domum;
Vidi (præ lacrymis vix me vidisse fatebor)
Sed vidi (heu! refugit mens meminisse nefas,)

Lumi-

Luminaque infantes vorantia tollere celo,
 Et frustra innocuos imbre rigare sinus.
 En vidua thalamis, vidua solamine matres
 (Heu consanguineis præda voranda lupis!)
 Torquebant misero natorum pectora planctu,
 Flebilibusque dabant talia verba sonis:
 O! mea lux, mea nox, mea vita, & funera, nati!
 Dum vos intueor, vita mimica fugit;
 Obuia luxuriat seges exsuperanda malorum:
 Nec quisquam miseris ferre laboret opem.
 Non iuisse, parum est; etiam pugnatu amici,
 Diripitur vestra præda tenella manu.
 Qualiter in silvis cum devia segrege cursu
 Vepribus horrentes agna pererrat agros,
 Panem tenet spoliū quævis de vellere spina,
 Signat & implexas lanæ præda vias:
 Sic ego cum teneris genitrix mæstissima natis,
 Fraudibus innumeris obuia præda sumus.
 Desertos vellunt, rapiuntque feruntque propinqui,
 Quos portum laceræ fas erat esse rati.
 Sic gemitus, sic verba pio dat suada dolori:
 Sed rapit immitis tristia verba Notus.
 Parte aliâ Corydon, angusti cultor agelli,
 Cui callosa manus, & ligo census erant,
 Duxerat è tuguri congesto cespite in herbas
 Delicias agnam, diuitiasque suas;
 Nec secus, ac natos, hanc pulce fouebat agresti,
 Et vitrei laticis fagina pocula dabat:
 Hæc venerata manum Cerealia dona ferebat,
 Inque sinus domini dulce iacebat onus.
 Viderat hanc diues, cui pascua iugera mille,
 Mille boues tondent gramina, mille greges:

1. Reg. 12.

Huius fortè nouus successit sedibus hospes,
 Cui voluit lautas apposuisse dapes.
 Ecce suis parcens bubusque, ouibusque, opibusque,
 Pauperis agnellam gaudia tota rapit.
 Hei mihi, qua lamenta dedit! quos pectore questus!
 Nequidquam implorans Diuum hominumque fidem.
 Credibile est fleuisse agros, paruosque penates,
 Vicinumque illi congemuisse nemus.
 Parte aliâ infesti male sobria turba Gradiui
 Inuadunt inopes rustica testâ lares.
 Ploranti Lycida respectans bucula abacta est:
 Et gemitu Lycida bucula congemuit.
 Singula quid memorem? miseros pede proterit exlex,
 Ludibriusque agitat luxuriosa cohors:
 Pupilli & vidua pinguescunt sanguine dites,
 Atque inopum lacrymas ebria turba bibit,
 Nec medicina malo est. quid enim tua limina pulsent
 O Themis vix magnis peruia muneribus?
 In pretio pretium est: Themidis mammona tribunal
 Occupat, & proprio iura dat arbitrio.
 Vanum dia Themis nomen! Vanissima libra
 Astræ! & cæca somnia nostra Dea!
 Ius omne in nummis. Inopes exeste. Misellos
 Submouet his sacris munere inuncta manus.
 O dolor! ô ubi nunc Vates Ausitidis ora,
 Cui decus æternum dura tulisse fuit?
 Ille oculus cæco, pes claudo, Vita sepulto,
 Ille parens vidua, & coniugis instar erat.
 O quoties inopum solamine pectora mulcens
 Rebus in adfluctis portus & aura fuit!
 O quoties rapuit ambesam è faucibus vrsi,
 Damnataque fero iudice fouit ouem!

Iob 24.

Iob 19.

Hæc

Hæc inter merito firmans solamine mentem,
 Securus sati talia dicta dedit :
 In mîdo moriar, veluti Phœbæius ales
 Emensus longâ sæcula dena die,
 Natalesque rogos, parituraque funera vitam
 Diuitiis Arabum deliciasque parat :
 Et latè exspatians per deuia rura volatu
 Portat odoratis thura Sabæa focis :
 Cinnamaque, & costum, Nabathæaque germina, & altè
 Funeream cumulat spica Ciliffa struem ;
 Inde Hyperionios adfrictu prouocat ignes,
 Fitque modò alituum gloria, parua cinis :
 Sed cinere è busti rediuiua repullulat ales,
 Et noua fatali fœnore sæcla parat.
 Sic ego post tumultum fortunatamque fauillam,
 Post ver continuum, quod breuis urna dabit,
 Emergam vegetus, longumque remetiâr æuam,
 Grataque post cineres lucra vigoris erunt.
 O velit hæc Numen ! ô si fata aspera rumpas !
 Concilietque tibi reddita vita fidem !
 Exoriare aliquis sacro de puluere phœnix :
 Nam qui subuenias flentibus, vnus eris.
 Vnus eris puerisque parens, viduisque maritus.
 Iam dudum poscunt tristia sæcla Virum.
 Exundant lacrymæ, veluti Mareotide ripâ
 Cùm vagus arentes Nilus inundat agros.
 Crescite, crescite nunc lacrymæ, confundite riuos :
 Crescite in Euxinum, crescite in Oceanum :
 Oceanum, qualem stupuit Noæa carina ;
 Hæc similem par est sæcla videre ratem.
 Nam scelus omne viget, vitiiisque vrgemur iisdem :
 Orbis & in senio non senuere mala.

Este procul *vatum*, mendacia somnia, *luctus*:
 Non facit ad nostram ludicra scena *lyram*.
 Non *mæstum* Danaïs mihi quinquagesima *carmen*,
 Vnica quam damnat culpa, fuisse *piam*.
 Mitto *Thyestæas* infamia *fercula* *mensas*,
 Cùm *Phœbus* refugo sorbuit *axe* *iubar*.
 Non mihi sit *cure* *Niobes* lacrymabile *saxum*,
 Aut *flens* *Ismarium* *Daulias* ales *ftyn*.
 Este procul *nugæ*: lacrymis, heu! sufficit *orbis*:
 Sat patet in *luctus* *area* *lata* *meos*.
 Dirâ cede madent generis primordia nostri:
 (Hac meruit pietas præmia, magne *Deus*.)
 Hostis erat nullus: *gemini*, par nobile, *fratres*,
 Et totus mater cum patre mundus erat:
 Et tamen innocuus fraterno & *Virgine* *ferro*
 Corruit; hinc retinent *Martia* *tela* *stim*.
 Quid memorem *Busiri* tuis *Nilotide* *ripâ*,
 Heu! iura hospitij contemerata *Sacris*?
 Quid memorem *Pharij* crudelia *sceptra* *Canopi*,
 Dum genus *Isacidum* sub *Pharaone* *gemit*?
 At aliud pungit propiori *corda* *dolore*
 (Mens fugit admonitu, muta que *lingua* *stupet*)
 Cùm *Gabaëna* cohors *furiata* *libidinis* *æstro*
 Ausi *sacrilegas* *conscelerare* *manus*,
Leuitæ *sociam* *thalami* *Bethlemida* *ab* *ipso*
 Coniugis *plexu* *per* *vaga* *tecta* *trahunt*,
 Donec *fracta* *stupris*, *passis* *in* *limine* *palmis*,
Hospitis *exanimis* *corruit* *ante* *fores*.
 O *calum*! ô *tellus*! ô *conscia* *criminis* *astra*!
 O qui *sidereâ* *spargis* *ab* *axe* *faces*!
 O *vbi*! Sed *satis* *est*: *lacrymas* *lamenta* *vocarent*,
Ingruerent *fluctus*, *obruerent* *que* *ratem*.

Sed

*Sed fluite ô lacrymæ, lacrymæ exundate, procellas
Tollite, fluctuagam præcipitate ratem.
Vita mihi mors est, placidus mors naufraga portus:
Illa parit fluctus, hæc statione locat.
Felices oculi, lacrymis quæ lumen ademptum,
Ne toties videant, quæ repetita fleant.
Sed magè felices, somnus quos ferreus urget:
Vnica quæ tantis nox medicina malis.
Et magè felices, mater quibus vrna sepulcri:
Quos nox cognouit vnica, nulla dies.*

PROSA EXEGESIS.

CVM multa sunt in hac valle lacrymarum, quæ vitam hanc acerbam reddunt & ingratham, tum nihil est, quod ampliore mœroris ac fastidij segetem ac materiam præbeat, nihil quod vberiores lacrymarum scaturigines eliciat, quàm cum pauperes, pupilli, viduæ, aut alij morum innocentiam commendabiles, omni præsidio solatioque destituti, aut per calumniam subruuntur, aut potentiorum machinationibus evertuntur. Quis est enim ex omnibus tanto animi robore septus, vt communis naturæ sensum repudiare, & se hominem esse possit infitari? Itaque & lacrymæ lacrymas eliciunt, & miseriarum indignitas, commiserationis adfectum prouocat. Atqui nullo ex fonte vberiores fluunt lacrymæ, quàm ex innocentium, maximè pauperum, oppressione. Consultite, si placet, monimenta vetustatis, inuenietis apud Sapientem nefarium impiorum conciliabulum, & innocentiam tamquam malevolentiam scopum perditorum telis expositam. *Opprimamus, inquit, pauperem iustum, & non* Sap. 2, 10. *parcamus viduæ, nec veteram reuereamur canos multi temporis.*

*Innocentium
maximè
pauperum
oppressione
deploranda.*

Verf. 12. *ris. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, &*
 Verf. 20. *contrarius est operibus nostris. Morte turpissimâ condemnemus*
eum. & plura in eandem sententiam.

Israëlitæ in
Ægypto op-
pressi. Consulite exordia gentis Israëliticæ, inuenietis hunc
 funiculum diuinæ hereditatis Ægyptiacâ tyrannide pe-
 nè disruptum, & spem posteritatis in ipsis propemo-
 dum incunabulis extinctam. Nefarium certè manda-
 tum non defuit: nisi maior fides & humanitas in ob-
 stetricibus fuisset. Deinde, quàm crudeliter operibus
 Exodi 1. luti & laterum, negatis etiam palarum subsidiis, ex-
 Cap. 5. hausti sunt? quàm etiam nullo suo merito flagellis
 grauissimè cæsi? Frustrâ gemitibus aures tyranni pul-
 sabant, frustrâ lacrymarum riuos ante tribunal funde-
 bant. Nimirum in faxeo tyranni pectore omnis hu-
 manitatis sensus obriguerat.

Iudic. 19.
Gabaoni-
sarum bar-
baries. Quid Gabaonitarum plus quàm belluinam imma-
 nitatem commemorem, cum peregrini Leuitæ vxorem
 ab itinere viribus fractam, in plateâ destitutam, & vix
 precariò hospitij tecto receptam, totâ nocte tot stupris
 vexarunt, vt ante fores tandem exanimis corruerit? At-
 qui tam immanis flagitij nullum à Iudice supplicium
 impetrari potuit.

3. Reg. 21.
Naboth ab
Achabo op-
pressus. Quid miserum Naboth Iezabelis perfidiâ & Acha-
 bi cupiditate per summum scelus hereditate paternâ
 simul & vitâ spoliatum referam? Atqui frequentissi-
 mam hanc tragœdiam non vnius Prouinciæ spectant
 theatra, sed amphitheatrum orbis vniuersi. Naboth
 enim historia, ait Ambrosius, tempore vetus est, vsu
 quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concu-
 piscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare
 contendit agello suo pauperem, & auiti iuris elimina-
 re finibus? Cuius non inflammat diuitis animum vi-
 cini

cini possessio? Non igitur vnus Achab natus est, sed, quod peius est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic sæculo moritur. Nec vnus Naboth pauper occisus est: quotidie Naboth sternitur, quotidie pauper opprimitur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam terris suis, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo: sequitur vxor illacrymans, tamquam ad bustum prosequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quæ flet suorum funera: quia etsi amisit coniugis præsidium, sepulchrum habet: etsi filios non tenet, tamen exules non dolet, nec ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Hactenus melleus ille Scriptor.

Neque pauperum tantum vitæ, famæ aut fortunæ morsum impingit dentata calumnia, sed viris etiam eximiis perniciem machinatur, & (quod Superbus olim mandabat Tarquinius) summa pauperum capita demerit. Quantus olim luctus Romanam urbem peruasit, cum Iulius Flavius Crispus Constantini Augusti filius, iuuenis in spem Imperij educatus, ex Alemannico bello victor, ac tertium Consul, atroci Faustæ noueræ calumniâ circumuentus, foris partâ pace, domi bellum offendit? Cum enim generosissimus ille Princeps honestè cadere, quàm turpiter facere maluisset, Faustam nouercam Phædræ, patrem Theseo, simillimos est expertus, ipse Hippolyto constantior. Rursus, quanta pauperum ac viduarum Constantinopoli fuit comploratio, cum D. Chrysostomus Eudoxiæ Augustæ calumniâ, quod eam, tamquam alteram Iesabelem, ob ademptum Callitropæ viduæ agrum, reprehendisset, Conciliabuli nescio cuius sententiâ, in exilium atque adeò in varias calamitates ac mortem ipsam compulsus est? Quantus mœror, & quanta olim vastitas Ecclesiam

Calumnia etiam magnos petit.

Florus li. 1.

Vide Stephonij Crispum.

Vide Vitam Chrysof. apud Me-rap.

Alexandrinam adflixit, cum vir ille incomparabilis, & tot palmarum pugil Athanasius, postquam toties de mendacio & calumniâ triumphasset, per omnes terrarum oras Arianorum violentiâ circumactus, in exilio solatium captauit, & ad necem per omnia contubernia quæsitus, vitam in sepulchro parentis inuenit?

*Calumnia
maximè in
aulâ graf-
satur.*

Infiniæ sunt istiusmodi malorum scaturigines, è quibus vberimæ per orbem exundant lacrymæ. Ac potissimum in aulis Principum hæc morum læs & communis vitæ pestis propagatur: dum alij æmuloꝝ ruinâ gradum sibi sternunt ad magna, alij fictis criminatio- nibus vlcisci dolorem suum aliquem volunt, alij nescio quâ malignitate naturæ, non minùs alienâ calamitate, quàm suo scelere atque improbitate pascuntur.

*Vita mo-
rentibus &
calumniam
passis acer-
ba.*

Hæc sunt quæ vitam nobis acerbam reddunt ac lu- tuosam: sed iis potissimum, in quos tempestas illa po- tentium & calumniatorum detonat: aut iis etiam, in quorum sinum miseri illi lacrymas & gemitus effun- dunt. Nam, vt ait malorum non inexpertus Propheta

Iob 3, 20.

Iob, quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritu- dine anime sunt? qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudent que vehementer cum in- uenerint sepulchrum. Miserum profectò felicitatis genus, quod extremum potius malorum omnium dici de- buit, nisi hac tantâ acerbitate vita aliquid inuenisset acerbius. Quod quidem tanto interuallo superat illud quod dici solet malorum omnium extremum, vt hoc illius comparatione beatitas quædam dici posse videat- tur. Sanè ita cecinit Tragicus:

*Seneca
Heic.
Octao.*

*Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit: mortis habet vices,
Lentè cum trahitur vita gementibus.*

Quid

Quid enim nobis miserius (ait Ambrosius, qui hunc locum Ecclesiastæ ad vniuersæ vitæ causam transfert) quid inquam nobis miserius, qui tamquam spoliati & nudi proiicimur in hanc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxij ad sollicitudinem, defidiosi ad labores, proni ad voluptates? Non nasci igitur longè optimum, secundùm hanc Salomonis sententiam: *Ei laudavi magis mortuos quàm viuentes; & feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole sunt.* Huic sententiæ conformia etiam tradit M. Tullius Tusculanâ primâ, vbi fabellam de Sileno recitat: qui cùm à Midâ captus esset, hoc ei muneris pro suâ missione dedisse scribitur, quòd cum docuit, non nasci hominem longè optimum esse; proximum autem, quamprimùm mori.

Hæc & similia dum pensulatiùs examino, simulque funesta illa vota Prophetæ Iob attentè rumino, *Pereat dies in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est: Conceptus est homo. Quare non in vuluâ mortuus sum, egressus ex utero non statim perij? Quare exceptus genibus? cur lætatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Hæc, inquam, dum tacitus expendo, occurrit animo difficultas illa Theologica, Verène melius sit, & secundùm rectam rationem optabilius, aut prænaturâ morte defungi, aut in posterum omnino non esse, aut numquam omnino fuisse, quàm aut æternis inferorum suppliciis cruciari, aut hic ad tempus in extremâ quadam acerbitate versari?

Magnâ vtriusque contentione doctorum virorum hæc quæstio ventilatur: & in eo quidem plerique ferè consentiunt, optabilius esse omnino non esse, quàm Dei inimicum esse apud inferos, aut lethali piaculo se

Ambrosius lib. de F de resurrect. Vita presentis a rumas

Cicer. Tuscul. 1.

Iob 3, 3.

Verf. 11.

An liceat mortè optare in graui dolore.

Vide Pinedam hic, & Salas in 1. 2. q. 87. tract. 13. disp. 15. sect. 7. ad 6.

Matth. 26,
24.

obstringere. hoc enim saltem euincit grauissima illa Christi de Iudâ proditore sententia: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Ceterum, sepositis cum Deo inimicitiis, restat hæc quæstio, Sine melius aut optabilius omnino non esse, quàm aut æternis tormentis, aut grauissimis ad tempus cruciatibus ac miseriis adfligi. Hic plerique Doctores partem negatiuam amplectuntur, eâ ratione ducti, quòd tametsi miseriâ & cruciatu carere tamquam magnum aliquod bonum apprehenditur, coniunctum tamen cum annihilatione essentiæ, sit magnum malum: contra verò ipsum esse seu viuere, quamuis cum cruciatu coniunctum sit, hoc ipso tamen quod est, verum, reale ac substantiale bonum aiunt inferre, proindeque id absolutè meliùs esse, & secundum rectam rationem potiùs eligendum.

Sed nimirum ea, quæ electionem ac vota concernunt, potiùs moribus hominum, quàm Metaphysicis acuminibus conformanda sunt. Aliud est enim bonum, quod enti æquiualeat, idemque est quod res quælibet; aliud verò quod naturæ nostræ conueniens est atque acceptabile: alioqui si Metaphysicè res ad viuum refecare volumus, præstabilius esse dicemus, hominem cruciatu affici (quoniam id res quædam est) quàm cruciatu carere, quod nihil est. Itaque longè aliter nobis hîc philosophandum est. Et quemadmodum Christus in horto Oliueti instantium tormentorum horrore concussus, ita orationem temperauit, vt priorem eius partem inferiori naturæ parti siue appetitui sensitiuo concederet, posteriorem verò ac potiorem rationi; ita hîc existimare debemus, si partem sensitiuam consulimus, melius atque optabilius iudicandum omnino

non

non esse, quàm aut æternis tormentis excruciaci, aut intolerabilibus miseriis longo tempore affligi. Si enim viuere apud optimos Auctores idem est quod lætum atque alacrem esse; quæ tandem erit illa vita, perpetuo cruciatu aut mœrore contabescere?

Quare hoc etiam adfirmo, cùm recta ratio docere videatur, tantum esse posse cruciatum, tamque diuturnum, vt vitæ fructui præponderet; etiam superiorem animæ partem iudicare (quod etiam Victor Antiochenus ac D. Hieronymus disertè adfirmant) interdum satius esse omnino non esse, quàm in tormentis esse: ac proinde id etiam secundum rectam rationem optari posse, nisi fortè ratio aliqua altioris ordinis interueniat. Cùm enim ex miseriis & cruciatibus hominum, siue in pœnam peccatorum inflictis, siue ad virtutis exercitium comparatis, Deus gloriam suam eliciat (qui aut ad maiestatem eius, aut iustitiam, aut aliam perfectionem declarandam pertinent) hominis est rectè instituti, potioris diuinæ gloriæ, quàm suæ commoditatis habere rationem. Itaque cùm aut Ecclesiastes meliorem esse conditionem iudicat eorum, qui numquam nati sunt, quàm qui in tantâ hîc acerbitate versantur; aut cùm alij viri sancti huic iudicio consentanea sibi vouent; ita semper animo comparati sunt, vt si nossent Deo aliter visum esse, aut hoc ad eius gloriam pertinere, mallent etiam cum suo cruciatu ac miseriâ diuinæ gloriæ subseruire. At si nulla necessitas cogit Deum per huius aut illius cruciatum maiestatem suam aut gloriam declarare; quid vetat, quò minus hi tales absolutè & secundum rectam rationem vouere possint non esse potius quàm sic esse? Sed plenior horum tractationem Scholasticis relinquentes,

Victor Antiochenus in Marcum. Hieronymus hic.

tes, ad ærumnas vitæ præsentis cum Ecclesiaste reuer-
tamur, pluresque rationes congeramus, quæ vitam hanc
acerbam reddunt & ingratham.

SECTIO SECUNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Rursum contemplatus sum omnes la-
bores hominum, & industrias animaduerti pa-
tere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas,
& cura superflua est.

5. Stultus complicat manus suas, & comedit car-
nes suas, dicens:

6. Melior est pugillus cum requie, quàm ple-
na vtraque manus cum labore, & afflictione
animi.

METRICA PARAPHRASIS.

LACRYMIS bonorum saucius, luctu satur
Mali leuamen corde dum vago sequor,
Ereçtoris indolis studia mihi
Pepulere nubes. Ecce contemplor viros,
Quorum saluti patrie sudor fluit:
Seu quos tribunal litibus raucum suis,
Seu quos cruenti Martis exercet labor.
Iuuat intueri publicæ natos rei,
Seu qui tot artes eruunt industria,
Pregnantis vtero, siue qui sophiæ hortulis
Politioris ingenl flores legunt;

Seu